



JO. BALTHASARIS WERNHERI

JCTi

ORATIO

IN MEMORIAM

D. GODOFREDI
SVEVI

Pand. P. P.

Habita VVittebergæ

D. XI. Septembr. M DCC XIX.

P. P.

Annus jam, & quod excurrit, præteriit,
ex quo e vivis excessit, Religiosissimus
Juris Antistes, GODOFREDVS
SVEVUS, quo post hominum me-
moriā nemo Jureconsultorum me-
lior natus est, nemo pietate ceterisque Virtutibus
praestantior. Tanto grauior jaētura est, tanto
que acerbius vulnus dies ille infixit, qui A-
cademiæ integerrimum Justitiæ Sacerdotem, Ci-
vitati commune aliquod Oraculum, nobis o-
mnibus pietatis & fidei sine labo exemplum, mihi
vero speciatim, non dico Amicum, aut Collegam,
sed alterum Patrem eripuit. Quæ dum cogito, tan-
tique Viri expressam velut imaginem animo in-
tueor, fatear necesse est, ita me luctu & moerore
obrui atque confundi, ut vix lacrymis temperare
queam, nullumque vitæ meæ tempus recordari pos-
sim, quo minus aptus ad dicendum fuerim, quove

)

majo-

AK.

majorem animi perturbationem senserim; Ut non
sine ratione verear, ne incondita Oratione Divi lau-
des potius obscurem, quam illustrem, meque hæc
Rostra, quæ, erepto splendore, nil nisi triste oculis
animoque offerunt, conscendiſſe, fero poeniteat.
Sed quomodo cuncte tandem res cadat, nullo modo
mihi committendum est, ut Pietatis obliuisci videar,
quæ omni officio atque sermone ejus Viri memori-
am celebrare jubet, qui non tantum vivus præcipu-
um quendam inter Amicos suos locum mihi conce-
dit, sed &, luctuētissima amoris significatione, bono-
rum suorum heredem post mortem esse voluit, id-
que, præter omnium opinionem, me certe nihil quic-
quam tale, vel præsentiente, vel expectante, solenni-
bus ultimi Elogii Tabb. sanxit & ordinavit. Quam-
vis igitur maxima Virtutum decora, quæ in SVE-
VO extiterunt, non possim verbis æquare, spero ta-
men, Vos, Auditores, hoc daturos & Vestræ, qua
DIVVM semper prosecuti estis, benevolentia, &
meæ erga Virum de me longe Meritissimum Pietati,
ut infantiam meam Vestro sublevetis favore; idque
a Vobis majorem in modum rogo, atque contendeo.
In exprimenda autem vitæ morumque tanti Viri
imagine ortus & Natales ejus non temere præter-
mitti debent; cum ad gloriam, atque existimationem
plurimum intersit, quo loco, & quibus Parentibus
quis natus sit. Sed in hac quoque felicitatis parte Di-
vo fortuna non defuit. Etenim nec Patriam Clario-
rem optare poterat, quam *VVittebergam*, Summo-
rum ingeniorum altricem, nec Patrem se di-
gniorem, quam **GODOFREDVM SVEVVM**,
Jurium in hac Academia Doctorem publicum, qui
omnia Virtutum decora complexus, haud vulga-
rem

rem Nominis Celebritatem ad Posteros transmisit.
 Ab hoc studiis dicatus, qualis evasurus esset, puer admodum haud fallacibus indiciis prodidit. Nunquam enim, ne in tenera quidem ætate, ludicra & inania consecutatus est, & a desidia, tanquam a peste, abhorruit, atque omnibus, qui in ejus condiscipulatu fuerant, probitatis, rectique moris exemplum præbuit, ut facile quisque intelligeret, animoque præcipiteret, quanta mentis integritate, quantaque sanctimonia, in virili ætate futurus esset, qui in pueritia, cui omnia indulgeri solent, nil sibi tribueret, in quo culpari & reprehendi posset. Testes appello STILLIOS, NERGEROS, FABRICIOS, qui in Parentum, quos præmatura mors, SVEVO, propemodum infanti, eripuit, curam succeſſerant, eundemque perinde, ut filium, sovebant, & complectebantur. Discendi vero desiderium, & capacissima, prorsusque Divina, indoles, tunc vel maxime in SVEVO cluxerunt, cum, procedente ætate, ad Græcas, Latinasque literas, a quibus omnis eruditioſis primordia capienda sunt, addiscendas, se convertiſſet. Quibus tam admirabili studio, tantaque assiduitate, operam dedit, ut inter æquales nemo esset, qui eidem ſe anteponere, imo parēm judicare, auderet. In hoc autem præcipua felicitate uſus est, quod in his studiis Praeceptores nacltus est Duum viros, STOLBERGIVM & SCHVRTZ-FLEISCHIVM, quorum alter in Græcis literis, alter eloquentiæ Principatum ſine controverſia tenuit, & uterque universum, qua patet, eruditum Orbem, in ſe, ſuumque Nomen, convertit, & huic præſertim Academiæ maximum ſplendorem, atque immortale decus, conciliavit. Tum vero Disciplinæ, quæ vivendi rationem explicat, & quam ſolam Socrates homine dignam existimavit, totum ſe dedit, neque artem dimetiundi

coeli & terræ prætermisit; quam utramque sic calluit,
ut non minus recentiorum, quam Veterum, tradita
atque inventa in numerato haberet, &, quandocun-
que occasio tulisset, sine difficultate promeret, & vel
cum ipsis artium illarum Magistris certare posset. His
præsidiis adjumentisque doctrinæ instruētus Lipsiam
se contulit, & Juris scientiam, in qua excolenda ætatem
consumere, apud animum constituerat, a Summis Viris
didicit, eorumque præcepta penitus in animum demis-
it; posteaque Vitebergam reversus ZIEGLERO, Sa-
xoniæ Papiniano, adhæsit; a cuius, & Juris consultissimi
MARTINI, latere nunquam discessit; iisdemque Du-
cibus, in publico Congressu, ex omni Jure, Publico &
Privato, egregie disputavit, atque omnium de se opini-
onem non modo sustinuit, sed omnino vicit, & su-
peravit. Poterat jam cum successu in forum prodire
SVEVVS, atque illa Reip. Munera ambire, que cu-
pidæ Legum Juventuti Imperator promisit. Erat e-
nīm Juris Divini, humanique jam scientissimus, &,
quo minus ad summa emiteretur, nihil ipsi, præter oc-
casione, deesse videbatur. Sed enim nihil Ille præci-
pitandum duxit, & majores, amplioresque ingenii di-
vitias sibi colligendas esse existimavit, priusquam foro,
& causis orandis, operam addiceret; summo stu-
dio multorum errorem vitandum ratus, qui, vix leviter
Juris principiis tincti, derelicto turpiter studiorum
campo, aufugiunt, & in forum procurrunt, ubi
rabulas potius, quam causarum Patronos, agunt. Hoc
Ille consilio Academiam Francofurensem adiit, mo-
tus in primis cupiditate noscendi tres Viros, maxi-
mam Nominis celebritatem adeptos, RHEZIVM,
STRYKIVM, & BECMANNVM; quorum favorem
industria sua, & emendatis moribus, brevi ita sibi
conciliavit, ut Ipso familiariter uti, Eundemque in
con-

consuetudinem interiorem admittere dignarentur. Habet
 hoc Virtus, ut intra tenebras se non contineat, sed in luce
 versetur, suisque Cultoribus, non ambientibus licet, va-
 ria præmia adornet. Quæ tanta, tamque eximia, in SVE-
 VO, adhuc Juvene, extitit, ut complures Studiosi, qui ex
 variis Europæ partibus Francofurtum venerant, sponte &
 ultro, nemine monente, ad eum confluenter, & in solidio-
 ris Jurisprudentiæ fundamentis, ab Ipsi erudiri cuperent;
 magno sane Divinæ Providentiae argumento, quum, ex-
 haustis patrimonii viribus, propemodum egere coepisset,
 solaque Divini auxilii spe se sustentaret. Qua in re tam pro-
 speros, optatosque successus expertus est, ut non solum,
 quantum ad liberaliorem cultum, victumque satis esset,
 quotannis industria sua acquireret, sed & insuper non
 modicam pecuniæ summam ad futuros usus seponeret.
 Sic se gerendo intra privatos parietes delitescere non po-
 tut SVEVVS, ejusque fama ita percrebuit, ut ad officia
 publica, cum dignitate conjuncta, passim certatimque ar-
 dentibus votis expeteretur. Sedenim vero pro ea, qua
 erat, in Patriam pietate summa, religioni duxit, illam cæ-
 teris locis omnibus non præferre, & cui vivendi benefi-
 cium debebat, eam non omnibus, quibus posset, officiis
 studiisque juvare. Neque vero honori ejus Patria *Vitem-
 berga* defuit; in quam reversus per omnes ordine dignita-
 tum gradus ad eximum Doctoris Publici & Antecessoris
 Munus ascendit. In quavis autem, quam obiit, provincia,
 quanta dexteritate, quanta industria, quantaque innocen-
 tia, versatus sit, recordamur omnes, tantæque laudis me-
 moriam nulla unquam oblivio delebit, aut temporis ve-
 tustas extinguet. Etenim sapientia, recondita doctrina, &
 in quavis re dubia, præclarissimis, & saluberrimis consiliis,
 abundabat; Jurium Interpres perspicacissimus, nec mi-

()

nus

nus judicio, quam subtili mentis acie, cum quolibet Veterum comparandus. Corpus licet, variis morbis obnoxium, Divinæ Menti impar esset, non tamen facile dictu est, quam patiens laboris fuerit ; quippe qui nullam unquam molestiam subterfugeret, nec fatigando elangueficeret aut frangeretur. Quam singulari præterea, & expedita agendi ratione in conficiendis negotiis usus sit, nemo ignorat, idque sæpenumero admirati sumus. Illud profecto affirmare ausim, neminem ætate nostra Muneris accurate, promteque obiti, laude SVEVVM superasse. Memini, Illustrem BERGERVM, cui me per plures annos, cum SVEVO, Collegam assedisse, ab Ejusque lumine meum qualecunque lumen accendisse, grato animo gloriari soleo, non semel publice, in omnium Confessu, Divi exemplum tardioribus imitandum proposuisse; quippe qui non tantum omnia, diffusissima licet, Acta, quæ Ipsi in distributione obvenissent, in primo quovis Collegii Conventu, egregie referre, causasque difficillimas admirabili facilitate explicare, sed &, incredibile dictu, summo statim sequentis diei mane sententias, & Responsa omnia, accuratissime elaborata, ipsi exhibere, Ejusdemque censuræ subjicere soleret. Quid nunc de Viri integritate, singularique modestia, dicam? Nemo sane, nisi qui Virtutem odit, facile reperietur, qui non primas hic partes SVEVO deferat, atque ad ejus Exemplum componi gestiat. Etenim sine fuco & fallacia omnes, qui Ipsum adirent, ope & consilio sincere juvit, & æquabilem semper in vita moderationem tenuit. Superbiam, atque ambitionem, non modo procul habuit, sed & magnopere detestatus est, neque tam verbis, quam factis, veri Jure-consulti imaginem expressit. Ad consilium vocatus, nec spe, nec metu, sed, prout Religio suggerebat, sententiam dixit,

dixit, nec, nisi quæ recta essent, & publice expedirent, suasit. Quibus rebus efficiebat, ut Ejus consilia, velut Oraacula, exciperentur, & omnes, qui Eum audirent, non tam autoritate Viri, quam rationibus, moti, facile Ipsi assentirentur, atque in Ejus sententiam concederent. Jam vero Pietatem Viri, atque in Deum Religionem, quis, quæso, verbis, pro eo, ac par est, fatis expreſſerit? Laboriosissimum licet vitæ genus ſectaretur, eam tamen vivendi rationem conſtanter ſecutus eſt, ut ex hac turba, atque colluvione hominum ſemper ſublime peteret, &, originis ſuæ memor, ad ſupera & coeleſtia ſpectaret, omnemque fiduciam in Deo, a quo terræ commodatus videbatur, unice collocaret. Perpetuo, & usque ad extreſum Spiritum, ſanctissimam conſuetudinem retinuit, ut nulla re prius, quam ſacris, occupari vellet, nec, vel frigore, vel alia tempeſtatis injuria, aut negotiorum multitudine, aliove quovis impedimento adduci poſſet, ut, quoad per valetudinem licuit, in publicum fidelium coetum prodire, & Cultui Divino quotidie interefſe, negligeret. Sacrum Codicem, rarisimo exemplo, plusquam quadragies a principio ad calcem usque perlegit, atque ad ejus præſcriptum vitam & mores componere, quanta per imbecillitatem humanañ potuit, animi contentionē annis ſuus eſt. Quo fiebat, ut propter magnitudinem calamitatum, quas varias in omni vita ſentiebat, nunquam infracto, ſed firmo, conſtantique animo ſemper eſſet, nec unquam ſuccumberet, aut de loco dimoveri poſſet. In rebus ſecundis moderationem, in adversis fiduciam, & in dubiis ſummam animi tranquillitatē ita oſtendit, ut arctissimo velut nexu quodam cum Deo coniunctus videretur. Quod tunc in primis apparuit, quum propter afflictam valetudinem, ampliſſimis, quibus fungebatur, muneribus ſponte ſe abdi-

casset, nec, quod facere poterat, ullam stipendiorum atque redditum partem sibi reservasset. Tunc enim Vir Sanctus, atque religiosissimus, totum se pietatis studio dedit, atque a luto & fæce mortalium se disjunxit, defixusque in contemplatione rerum coelestium, Divinam potius, quam humanam, vitam ducere vîsus est; eoque pietatis & innocentiae famam, et si nullo eam modo captaret, maximis incrementis auxit; ut non facile quisquam aliis reperiatur, de cuius Divinis virtutibus tot, & tam præclara judicia, tota civitas, tanta omnium consensione, fecerit. Quamobrem nobis causa est, cur tales, tantisque virtutibus, virum nobis erectum, graviter molesteque feramus, neque tam SVE VI, quam nostram, qui tam gravem jacturam fecimus, vicem doleamus. Ille enim coelo, unde devocatus erat, receptus æternum gaudet, &, velut ex Specula, umbras atque imagines rerum humanarum despicit. Exultat inter Coelites in Dei immortalis conspectu Victor, triumphatorque, SVE VVS, posteaquam calamitates, ærumnas, morbos, &, quod maximum mentis humanæ opus est, mortem, ea constantia, quæ Christianum, & in primis SVE VVM, decebat, pertulit. Nostrum est, Auditores, operam diligenter dare, ut tanti Viri memoria nunquam ex animis nostris descendat, & omni modo anniti, ut Ejus similes redamur, perpetuoque meminisse, & vivendi, & moriendi, exemplum a SVE VO
nobis relictum.

D I X I.

VVITTEBERGAE
LITERIS VIDVAE GERDESIAE.

78 M 396

ULB Halle
001514261

3



SB.



JO. BALTHASARIS WERNHERI
 Jcti
ORATIO
 IN MEMORIAM
**D. GODOFREDI
 SVEVI**
 Pand. P. P.
 Habita VVittebergae
D. XI. Septembr. M DCC XIX.

P. P.

Anus jam, & quod excurrit, præteriit,
 ex quo e vivis excessit, Religiosissimus
 Juris Antistes, **GODOFREDVS**
SVEVUS, quo post hominum me-
 moriam nemo Jureconsultorum me-
 lior natus est, nemo pietate ceterisque Virtutibus
 praestantior. Tanto grauior jaictura est, tanto
 que acerbius vulnus dies ille inflixit, qui A-
 cademiæ integerrimum Justitiæ Sacerdotem, Ci-
 vitati commune aliquod Oraculum, nobis o-
 mnibus pietatis & fidei sine labe exemplum, mihi
 vero speciatim, non dico Amicum, aut Collegam,
 sed alterum Patrem eripuit. Quæ dum cogito, tan-
 tique Viri expressam velut imaginem animo in-
 tueor, fatear necesse est, ita me luctu & moerore
 obrui atque confundi, ut vix lacrymis temperare
 queam, nullumque vitæ meæ tempus recordari pos-
 sim, quo minus aptus ad dicendum fuerim, quo ve-
)(majo-

paucissimi, plu-
 reconditas eius
 Itaque has eius
 sunt omnes, ac
 re uenerabuntur.

